













[redacted]

48, - 106.



DIFFERENTIÆ CICERONIS,

SEV QVÆ VERIVS à GRAMMATICO QVODAM IN DANIA OLIM CONSCRIPTÆ SVNT,

NVPER

Ex Bibliotheca quadam eruta, & ex fide V. M. S. in lucem euulgata,

EDENTE NICO. CRAGIO *Ripensi.*

Aegidius Nicolaj Anno 1692.



HAFNIÆ,

Impreßit Laurentius Benedictus.

1589.

Ad Principem P.

FAbula agenda puer, vultum compone theatro,
Et tibi finge orbem cernere quicquid agas.
Nam ſunt qui chartis benè geſta fidelibus ornent,
Atq; obelis Regum facta cruenta notent.
Qui benè conſuluit Nerua cum principe laudem,
Qui malè cum turpi probra Nerone feret.

G. Paradini.

Regis poteſtas à Deo.

QVis tantæ ceruicis erit, qui temnere Reges
Auſit, & aduerſus fulmina ſacra loqui?
A Domino eſt virtus, Regiſq; tremenda poteſtas,
Inq; homines vitæ ius habet, atq; necis.
Vera Dei Rex eſt mundum moderantis imago,
Verbaq; diuinum Regia numen habent.
Vnde poteſtati Regis quicunq; reſiſtit,
Impia conſciſcens prælia, mente furit.

Eiuſdem P.







CHRISTIANO IIII.
DANICO, NORVAGICO, GOTHICO ET VANDALICO REGI, E, &c.
PRINCIPI ILLVSTRISSIMO S.



FFERTVR tibi inclute & illustrißime Princeps, editus à me sub tui nominis auspicio libellus, quem veterem — nouum dixerim, quippe scriptione veterem, mea editione nouum. Si quæris cuius ille auctoris, aut quo loco habendus, respondebo paucis quod res sinit, istud in promtu esse, illud non item. Nam quis ille, qui eum scripserit, nihilò mihi magis constat, quàm quo tempore vixerit. Vtrumq; inter ea, quæ maiorum negligentia in obscuris esse fecit. Schidæ quidem membraneæ nomen Ciceronis præferunt, sicut & in libello synonymorum, qui in M. S. præceßit, eius item nomen cum Epistola quadam præfigitur; Sed nugæ meræ. Quid enim hîc magnopere Ciceronianum? Quidue tanto oratore dignum? Ego verò contrà existimo, potius eum acceptum ferendum nostrati cuidam, quicunq; tandem fuerit, qui in ordine Grammaticorum nomen suum in Dania olim professus sit. Nam sicut antiquitus, non solum Romæ & in reliqua Italia, vt discimus ex Suetonio, sed etiam in Gallia, vt patet ex Ausonio, Grammatici fuerunt, Historias, Poëtas, Oratores enarrantes: Ita verisi-

 mile

mile eſt, propagato ad nos Chriſtianiſmo, extitiſſe ſimul qui literas latinas docerent. Id quod eò facilius adducor vt credam, quod hiſtoriæ noſtræ conditor Saxo, huius etiam ordinis fuiſſe videtur, atq; inde cognomentum Grammatici ἐξοχῆς cauſa mutuatus. Sed tamen de hoc quod certò pronunciem non habeo, vſq; dum ex antiquitatum monumentis, quæ nobis vetuſtas reliqua fecit, diligentius aliquid eruerimus. Interim opinionem ex coniectura hoc tempore propoſuiſſe ſatis erit.

Deinde autem, quo loco hic libellus habendus ſit, facilè iuxtà mecum vident, qui aliquid in literis vident. Tractat idem cum veteribus illis, Iſidoro, Nonio, Agrætio, Frontone, argumentum, poſitum in obſeruatione proprietatis vocum linguæ latinæ. Qua de re ſingulares eorum & conſimiles extant libri. Et ſanè ſi quid ijs ineſt, quod doctis eruditæ literaturæ nomine poteſt ꝓbari, hunc noſtrũ laudis eius etiam participabunt, qui ferè ſe illis æquauit. Intercurrunt quidem, non nego, aliqua hîc, quæ tantum abeſt vt ſint Ciceroniana, quod libri inſcriptio pollicetur, vt etiam protrita, ſeu nimis quàm vulgaria, minuſq; neceſſaria ſint, quæq; iſtius ſeculi, non dico barbariem, quam in moribus potius colloco, ſed ruditatem arguunt: Verùm ea quæ & qualia ſint, velim quemq; ſuo iudicio cum modeſtia cenſere. Meum non eſſe duxi, quem penes huius libelli aut occultandi, aut abolendi aliquatenus poteſtas erat, eum in publicum edendo vituperare. Nec volui quæ obelo digna exiſtimaui, vel inducere vel indicare, ne in alieno

Lynceus

Lynceus viderer, contentus tantummodo culpas librarij incuria commissas emaculasse. Et mihiipsi hanc legem dixi, quam cuiuis bono seruandam existimo, vt nobis in aliorum scriptis edendis quàm minimum liceat: sed illa relinquamus auctoribus lapsus suos præstituris. Possunt sæpè aliqua bonæ notæ esse, quæ nobis inaudita sunt, ac iudicium nostrum fugiunt. Qualia hîc etiam aliqua, siue ab assiduis illis Grammaticis transcripta, siue ab illo ipso obseruata. Quocirca omnes ita genio & ingenio natos, vt aliena reprehendendi lubidine prona agantur, commonitos velim ne de hoc auctore sententiam nimis rigidam ferant, neue vitio vertant si aliquando ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα deuiârit. Equidem hunc libellum, qualemcunq; tandem, etsi sine magno nostro incommodo delitescere potuerit, vel eò in publicum emittere non dubitaui, vt ostenderem non defuisse apud nos eo seculo, quod extrema barbarie immersum erat, qui tum etiam elegantioris literaturæ gustum haberent, & quantum per temporum iniquitatem licuit, id studij sectarentur. Quod tamen luculentius demonstrari poterit in historia Romana ab Esberno quodam nostrati scripta, quam ab humanissimo illo & verè nobili Erico Langio, viro de me optimè merito, communicatam propediem ad editionem adornare studebo. De quo historico, & Saxone, alijsq; item nostratibus, vt iam taceam, certè quantum ad hunc attinet, quanticunq; is æstimari poterit, dicere ausim vix esse, vt regiones, quæ à cultura literarum propius sibi abesse videntur, pro-


ferre poßint eius ſeculi Grammaticum, quem æqua lance illi compararint. Et ſunt haud dubiè etiamnum hac tempeſtate ex noſtris, qui fortean cum illis nationibus æmulis ſtudijs poſſent contendere, non deficientibus ingenijs, atq; etiam in ijs literis, vbi ſumma eruditionis gloria & ingenij laus collocatur. Non enim deſunt qui ſtudio latinè dicendi delectantur: Non deſunt qui κριτικῆς *rationem didicerunt: Non deſunt qui antiquitates cum alias, tum etiam policitas, quibus illi meritò primas tribuunt, tractare poſſent, & fortean non minore dexteritate quàm vel Sigonius, vel Bodinus, vel Poſtellus, vel Perionius, vel alij qui à literis nomen gerunt. Multa enim ab illis perperam tradita poſſunt emendari, multa omiſſa ſuppleri, puta de legibus, de iudicijs, de præmijs & pœnis, atq; alia quædam, quæ illi aut prorſus prætererierunt, aut leui manu, vt aiunt, attigerunt. Nam quid de ijs dicam politijs, quarum antiquitates non cuiuis obuiæ iuſtis quodammodo cõmentarijs illuſtrari poſſunt, Spartanorum, inquam, & Græcorum aliorum, itemq; Perſarum, Ægyptiorum, Carthaginenſium, Maßilienſium & plurium, de quibus illi nihil ferè literis prodere auſi, certè quod conſtat nõ ſunt aggreßi? Quas omnes & alias qui deſcribet, paßim poterit tanquam* ἐκ παρόδου *vel aliud agendo, ijs reſpondere, qui non ſecus ac iurati nominis Danici hoſtes, Reipub: noſtræ conſtitutionem quauis ratione impudenter traducunt. Ac conueniens admodum, vt arbitror, noſtræ erit modeſtiæ ea ratio conuicia in*

aucto-

auctores regerendi, si demonstrare possumus in laudatissimis illis antiquis Rebuspub: vsurpata & approbata fuisse, quæ in nostris moribus tantopere sugillant. Hæc atq; alia, tum Reipub: literariæ, tum verò etiam patriæ, cuius gloriæ asserendæ quicquid id est, quod possumus, impendere debemus, sunt qui præstiterint. Quorum, vt item aliorum literatorum rationem inprimis te illustrissime Princeps, & qui rebus tuo nomine præsunt, habere æquum fuerit. Etenim si studium Musas promouendi, quod tibi hæreditarium, & à patre auoq; quasi per manus traditum est, seriò & maturè capesseris, animoq; tuo imbiberis, sperandum omnino erit, initia Regni multò fore auspicatiora, & tibi ijsq;, qui eò te iuuant, hoc ad æuiternam nominis memoriam honorificum futurum. Hoc itaq; studio, vt Deus propter sui nominis gloriam, & Reipub: salutem, mentem tuam imbuat, idq; semper in te confirmet, ex animo rogo. Vale Princeps illustrissime, & hunc quamuis parui momenti libellum, dum alia in schidis affecta elaboro, non ingratum habere digneris, demissè precor. Hafniæ Idibus Aprilis, Anno ab exhibito Messia M. D. LXXXIX.

T. M. D.

Nic. Cragius.



Quid intereſt inter abundantem, & ſuperfluentem?

ABundat vnda: ſuperfluit amnis humor.

Inter abrogantem, & arrogantem, & ſuperbum, & glorioſum, & inſolentem?

Abrogat qui aliena aufert, vel qui legem tollit: Arrogat qui ſibi aliquid plus iuſto aſſumit, nec aliorum expectat iudicium, ſed ſuo nititur: Superbus eſt qui ſupra modum tumore effertur: Glorioſus eſt bonorum ſuorum nimius oſtentator: Inſolens eſt, qui non ſolito more felicitatem ſuam in aliorum exerit iniuriam.

Inter abſtinentiam & continentiam?

Abſtinentia eſt quæ ab alienis abſtinet: Continentia quæ continet ſe à ſuis.

Inter abſolutum & dimiſſum?

Abſolutus eſt qui dum accuſaretur liberatus eſt à crimine: Dimiſſus qui

ignoſcendo liberatus eſt, tanquam aliquis ab amicis.

Inter abitum, & habitum?

Abitum de abceſſu dicimus: Habitum de habere, vt habito conſilio. Sed & habitum de veſtitu & geſtu membrorum.

Inter abducitur, et producitur, & deducitur?

Abducitur quis ad rem turpem vel inhoneſtam: Producitur ad ſtudia: deducitur ad honorem.

Inter abſtulit, et ſuſtulit, & tulit?

Abſtulit, id eſt, ab hoc tulit: Suſtulit ſurſum tulit: Tulit etiam qui fert.

Inter accidit, & contigit & euenit?

Accidit aduerſæ partis ſignificationem habet, vt malè cadentia accidunt: Contingit proſperè, vt ea quæ volumus contingunt: Euenit vtrunque.

Inter accuſare, & incuſare?

Accuſare eſt cum crimen obijcitur: Incuſare cum querela fit.

Inter

Inter accerßire, & arceßire?

Accerßire eſt vocare: Arceßire autem accuſare ſignificat.

Inter accommodare, & commodare?

Accommodare eſt ſe ad rem commodare: Commodare eſt commodum facere.

Inter accolas, & incolas?

Accolæ ſunt regionis cuiuslibet proximi vel finitimi: Incolæ vero eandem ciuitatem incolentes & inhabitantes.

Inter aciem, & acumen?

Acies refertur ad oculos, aut ad ordinem armatorum militum, vel ad ferri tenuitatem: Acumen verò inuentionem aut ſubtilitatem mentis ſignificat.

Inter accipimus, & ſumimus, & tenemus, & prendimus?

Accipimus quæ ab alio dantur: Sumimus noſtra voluntate quæ poſita ſunt: Tenemus quæ accepimus: Prendimus quæ fugiunt.

Inter accumbere, & discumbere, & decumbere?

Accumbere ad quietem reclinem esse: Discumbere ad epulas: Decumbere in infirmitatem.

Inter acerbitatem, & acerbitudinem?

Acerbitas in gustu est: Acerbitudo in affectu est, velut amissis liberis vel aliqua re perdita.

Inter adiuuat, & adiutat?

Adiuuat semel: Adiutat sæpius.

Inter ad, & at, & apud?

Ad per D literam præpositio est: At per T literam coniunctio est, vt, At puer Ascanius, At pius Æneas: Apud manentis est, Vt apud illum sum, apud illum est.

Inter annuere, & innuere, & abnuere?

Annuit est permisit: Innuit autem supercilio: Abnuit negauit.

Inter

Inter affirmamus, & confirmamus?

Affirmamus efficacia: Confirmamus teſtimonio.

Inter aduerſarium, & contrarium?

Aduerſarius eſt animo: Contrarius loco ſignificat.

Inter adoleſcentem, & iuuenem?

Adoleſcens eſt qui accreſcit: Iuuenis fortioris ætatis eſt.

Adolescens homo dicitur quamdiu in longitudinem corporis crescit et postquam [illegible] crescere, incipit id quod fit ab anno duodecimo usque ad annum vigesimum primum.

Inter aſſuetudinem, & conſuetudinem?

Aſſuetudo in opere vel corpore eſt: Conſuetudo in animo.

Inter admittere, & committere?

Admittitur crimen: Committitur conſilium. Ita alterum notæ eſt: alterum fidei.

Inter attrectare, & contrectare, detrectare, & obtrectare?

Attrectat aliquis manu ſemel: Con-

trectat sæpius: Detrectat iurgijs: Obtrectat voce.

Inter adiumentum, & adiutorium?

Adiumentum est in re: Adiutorium in Persona.

Inter assentire, & consentire, & assentari?

Assentit qui consilium recte dictum approbat: Consentit qui cum cæteris vnanimiter sentit: Assentatur dum in adulationem producitur.

Inter asseclam, & comitem, & clientem?

Assecla est humilis perseuerans, à sequendo nomen trahens: Comes est vel amicus potentioris: Cliens inter vtrumq; est, id est, asseclam & comitem, hoc summißior, illo eminentior.

Inter annunciare, & nunciare, & denunciare, & renunciare?

Annunciatur de futuro: Nunciatur de longinquo: Denunciatur in præsenti: Renunciatur de excommunicando, vel etiam oppugnando.

Inter

Inter alloqui, & obloqui, & eloqui?

Alloqui persuadentis est, vel iubentis: Obloqui detrahentis: Eloqui verò oratoris est.

Inter affines, & confines?

Affines assumuntur: Confines possessionis sunt.

Inter adolescere, & insolescere, & exolescere?

Adolescere augmenti est: Insolescere superbire: Exolescere moribus non conuenire.

Inter admissum, & commissum?

Admissum aut peccatum significat, aut hominem ad salutandum intromissum, vel prælium, vel spectaculum: Commissum verò est aliquid in fide traditum vel creditum.

Inter aduenam, et peregrinum, et hospitem?

Aduena potest vocari qui mari venit vel terra, vtiq; longè separatus à nobis: Peregrinus est, qui nostræ non est ciuitatis, à peregrinando nomen

accepit: Hospes qui familiari commercio iam receptus est.

Inter adurere, & exurere, & amburere?

Adurere ex parte incendere: Exurere vniuersum: Amburere circumurere vel in circuitu incendere.

Inter ad, & in?

Ad proximum locum signat, vt ad forum: In ipsum locum ostendit.

Inter aduersum, & aduersus?

Aduersum similitudinum immutatio est: Aduersus est aduersarius vel contrarius.

Inter astruere, & instruere, & exstruere, & construere, & substruere?

Astruere affirmare est: Instruere aciem militum vel actionem: Exstruere est in altum struere: Construere est instruendo adiungere: Substruere est aliquibus super positis subterstruere.

Aduoca-

Aduocatus, & inuocatus, & euocatus?

Aduocatus est patrocinium daturus: Inuocatus est auxilium præstaturus: Euocatus ad obsequium præbendum.

Inter agere causam, & dicere causam?

Agit causam orator vel patronus pro alio: Dicit causam reus pro se.

Inter ammonere, & commonere, & monere?

Ammonemus de præsenti: Commonemus de præterito: Monemus de futuro.

Inter ægrum, & ægrotum?

Æger animo est: Ægrotus corpore.

Inter æstatem & æstum?

Æstas ad tempus refertur, & est vnum de quatuor anni temporibus: Æstus calorem indicat.

Inter æternum, & sempiternum, & perpetuum?

Æternum maiestate dicitur: Sempiternum quod semper est vnum: Perpetuus vel perpetualis Augustus dicitur.

Inter æqualem, & parem, & geminum?

Æqualis annis, vel corpore, vel planus locus dicitur: par statura vel mensura: Geminus natura.

Inter æquum, et iustum?

Æquus iudicio: Iustus animo.

Inter æmulum, et aduersarium, et inimicum?

Æmulus in studio est, id est, imitator & inuidus intelligitur: Aduersarius in pugna: Inimicus solummodo inuidia laborat.

Inter Afrum, et Africum, et Africanum?

Afrum hominem dicimus: Africum ventum: Africanum bellum vel negotium.

Inter affectum, et adfectum?

Affectus desiderium ostendit: Adfectum verò consummatum demonstrat.

Inter

Inter affatim, et passim?

Affatim de re incorporali rectè dicimus: Passim de corporali. Illud enim de facto dictum: Istud de incessu.

Inter agilem, et strenuum, et fortem, et validum?

Agilem actio facit: Strenuum motus: Fortem animus: Validum corpus.

Inter agnoscimus, et cognoscimus?

Agnoscimus notos vel veteres: Cognoscimus ignotos.

Inter agrum, et fundum, et prædium, et possessionem?

Agri vocabulum Græcæ originis est, quod illi apocopen vocant: Fundus ab eo appellatus quod fundatus sit, id est, stabilitus, vel à fundamentis ædificatus: Prædium dicitur eò quod ab hostibus veluti captum præsidebatur vel diuidebatur: Possessio à posidendo dicitur, idq; vocabulum in omnibus rebus, quæ nostri iuris sunt, dicitur.

Inter agitari, et moueri?

Agitantur quæ leuia sunt, id est, sæpius aguntur: Mouētur onerosa, vt in terræ motu.

Inter

Inter agmen, & exercitum?

Agmen inordinata multitudo est, ab actu nomen trahens: Exercitus propriè est militum, ab exercitatione dictus.

Inter album, & aluum?

Albus colorem ostendit: Aluus ventrem significat.

Inter album, & candidum?

Albus naturali colore est: Candidus cura fit.

Inter albentem, & albescentem?

Albentem dicimus eum qui iam albus est: Albescentem qui adhuc incipit.

Inter alium, & alterum?

Alius ex pluribus dicitur: Alter ex duobus.

Inter alligare, & allegare, & vincire?

Alligare est rem rei coniungere: Allegare causam iudicibus notam facere: Vincire quasi continere.

Inter alere, & aliscere?

Alimur ab alio: aliscimus nostra sponte.

Inter

Inter altum, & excelsum, & imum, & profundum?

Altum vtrunq; significat: Excelsum ex superiore parte tantum, vt excelsum murum: Imum inferiore parte omnino: Profundum eò quod porrò fundum habeat.

Inter altaria, & aras?

Altaria soli Deo ponuntur: Aræ etiam mortuis fiunt.

Inter aliquod, & aliquid?

Aliquod nomen est neutri generis, declinabile in casus à masculino in fœmininum & neutrum, vt aliquis vir, aliqua fœmina, aliquod mancipium: Aliquid verò communiter confuseq; omnia significat, & casus non recipit, vt puta, da mihi aliquid.

Inter amplius, & plus?

Amplius spacij est: plus quantitatis.

Inter amicum & clientem?

Amicus æqualis notæ est: Cliens autem inferioris.

Inter amnem, & flumen, & fluuium, & torrentem, & gurgitem, & alueum?

Amnis

Amnis circuitus aquæ est: Flumen latioris naturæ est: Fluuius exiguioris: Torrens aqua imbribus aucta: Gurges vnus impetus: Alueus canalis fluuij est.

Inter amentem, & dementem?

Amens à tota mente submotus est: Demens diminutiones mentis patitur.

Inter ambo, & duo?

Ambo iungit: Duo numerat: vtrumq; coniungit.

Inter amare, & diligere?

Amare voluntatis est: Diligere pietatis affectus est. Et illud aliquando inconsultè: Hoc summo delectu facere consueuimus.

Inter ambiguum, & incertum, & dubium?

Ambiguum est, quod in ambas potest agi partes, quod à Græcis amphibolon appellatur: Incertum nullius constantiæ est, nunquam certum: Dubium est, quod in qua parte venturum sit ignoramus.

Inter

Inter ambire, & rogare?

Ambiuntur magna: Rogantur minora. Et ambire circumeundo, vnde ambitus lex dicitur: Rogare est suppliciter.

Inter ambitum, & ambitionem?

Ambitus est consummati operis discrimen: Ambitio opus ambientis. Ambitione inchoantur crimina: Ambitu consummantur.

Inter amicum, et sodalem, et familiarem?

Amicus animo sociatus est: Sodalis verò æqualitate coniunctus est: Familiaris frequenti coniunctione fit, veluti qui ex familia nostra vnus esse cœpit.

Inter amputare, et decidere, et abscidere?

Amputamus circumfusa, tanquam sarmenta: Decidimus ex parte, tanquam ramum: Abscidimus vniuersa, tanquam arborem.

Inter amandum, et amabilem?

Amandus est qui debet amari: Amabi-

Amabilis qui meretur & dignus est amari.

Inter ante, & antea?

Ante locum significat: Antea tempus.

Inter animum, & animam?

Animus ad virtutem pertinet: Anima verò ad vitam.

Inter animalia, & animantia?

Animalia carent ratione & spiritu continentur: Animantia vtrumq; possident. Itaq; animalia muta: Animantia etiam homines appellamus.

Inter anxium, & solicitum?

Anxius ad naturam refertur: Solicitus ad timorem, vel ad tempus.

Inter anhelitum, & suspirium?

Anhelitus lassitu dinis est: Suspirium anxietatis dicunt, quod respirationis difficultas sit.

Inter antistitem, & sacerdotem?

Antistes appellatur quod ante altare stare consueuit: Sacerdos à sacra appellatione dictus est.

Inter

Amicitas Matthia Leche

Inter antiquos, et priscos, et veteres?

Antiquos dicimus homines qui ante nos fuerunt: Priscos qui fuerunt ante omnes: veteres qui annorum multitudine veterati sunt.

Inter antiquum, et vetus?

Antiquum quod patrum excessit memoriam, quasi antè actum: Vetus quod iam veteratum est, vt vinum vel oleum.

Inter anum, et vetulam?

Anus ab annorum multitudine dicitur: vetula ab ætatis vetustate.

Inter annuum, et anniuersarium, et anniculum, et annotinum, et annalem?

Annuus per totius anni spatium est, vt annua merces dicitur: Anniuersarius est quando repetentibus annis idem dies colitur, ut est cœna anniuersaria: Anniculus tantùm annum habet, vt anniculus puer: Annotinus prioris anni est, vt annotinum vinum: Annalis est res aliqua quæ totius anni ordinē continet, vt annalis liber, annalis historia.

Inter animum, & animam, & ſpiritum, & mentem, & vitam?

Animo ſapimus: Anima viuimus: Spiritu ſpiramus: Mens cogitationum qualitas eſt, vt bonæ vel malæ: Vita ſocietas eſt animæ & corporis.

Inter aptum, & vtilem, & idoneum.

Aptus loco vel tempore: Vtile ad aliquid refertur, vt prudenti literæ ſunt vtiles: Idoneum dicimus vel operibus, aut amicum per conſilia, aut ſeruum in vſus Domini ſui.

Inter apparationem, & apparatum?

Apparatio inſtruit rem: Apparatus exhibet.

Inter aperire, & recludere?

Aperimus exigua, tanquam feneſtras: recludimus maiora, vt portas.

Inter appellare, & compellare?

Appellare eſt debitum repoſcere, vel alloqui: Compellare eſt contra bonos mores aliquid turpiter dicere vel nominare.

Inter

Inter apparere, & parere?

Apparet quod videtur: Paret qui obsequitur.

Inter apportare, & deportare, & comportare, & exportare?

Apportare & deportare est aliquid afferre: Comportare aliquid in vnum ferre: Exportare tollere est.

Inter aquam, & vndam?

Aqua naturalis est: vnda copiosa est, vnde & abundantes.

Inter arundinem, & hirundinem?

Arundo canna est, ab ariditate dicta: Hirundo auis est quæ tignis inhæret.

Inter arenam, & harenam?

Arena appellationem ab ariditate vel asperitate traxit: harena verò ab hærendo.

Inter araneum, & araneam?

Araneum quod textum est: Aranea quæ texit.

Inter ardere, & comburi?

Ardet flammis: Comburitur caloribus.

Inter arma, et armamenta, et tela?

Arma sunt quibus pugnamus, vel nos defendimus: Tela missilia: Armamenta nauium instrumenta.

Inter argutum, et garrulum?

Argutus multa loquendo etiam alium arguere conatur: Garrulus multa loquitur, quasi verba sua gerat, aut garriat.

Inter artificem, et artificiosum, et artificialem?

Artifex est qui suam artem exercet: Artificiosus est qui alienam suo ingenio exprimit: Artificialis est qui in studijs liberalibus artis subtilitate exercitatus est.

Inter artem, et artificium?

Ars honestioris operis est, veluti liberalium studiorum: Artificium sordidioris, vt manuum.

Inter arma, et tela?

Arma protegunt corpus: Tela mittuntur, vt sagittæ, iacula, lapides.

Inter arbitrum, et iudicem?

Arbiter voluntate fit: Iudex lege.

Inter arbitrium, et arbiterium?

Arbitrium quod ex voluntate arbitri eſt: Arbiterium collegium arbitrorum multorum.

Inter arbor, et arbos?

Arbor dicitur omne lignum: Arbos tantum fructifera.

Inter arguere, et coarguere?

Arguere eſt oſtendere & patefacere: Coarguere coërcere eſt & compeſcere.

Inter aſtutum, et agilem?

Aſtuti Græca conſuetudine dicuntur. Aſtu enim illi opidum dicunt, vnde & nos aſtutos, expeditos dicimus. Agilis verò motu corporis eſt.

Inter aſperum, et auſterum?

Aſperum natura vel actu eſt: Auſterum guſtu probatur.

Inter aſcendere, et conſcendere?

Aſcendere inchoatio laboris eſt: Conſcendere penè conſummatio. Ita alterum initium eſt, alterum finis.

Inter aſpicere, & inſpicere, & ſuſpicere, & proſpicere, & reſpicere?

Aſpicimus caſu: Inſpicimus iudicaturi: Suſpicimus in ſuperiorem partem veneraturi: Proſpicimus quæ de longè ſunt: Reſpicimus in inferiorem partem vel retrò.

Inter aßidue, & cottidie, & ſæpe?

Aßiduè ſedulitatis eſt: Cottidie verò perſeuerantiæ eſt: Sæpè frequentiæ vel temporis ſpacium.

Inter aſcribere, & inſcribere, & conſcribere, & tranſcribere, & exſcribere, & diſcribere, & ſcribere?

Aſcribere aßignationis eſt, vt cum vnuſquiſq; quod audit de ſe putat eſſe dictum: Inſcribere accuſationis eſt: Conſcribere multa ſimul ſcribere: Tranſcribere cum ius noſtrum in alium tranſit: Exſcribere quod alibi ſcriptum eſt exarare: Diſcribere diſtinctionis vel ordinis eſt: Scribere verbum imperfectum eſt.

Inter

Inter assequi, & consequi?

Assequimur studio: Consequimur pedibus.

Inter atrum, & nigrum, & fuscum?

Atrum abominandi coloris est, quod dicitur funereum: Nigrum est quod albo contrarium est: Fuscum quod neq; nigrum neq; album est, sed medij coloris.

Inter audij, & audiui?

Audij orationis est: Audiui consuetudinis est.

Inter augurium, & auspicium, & omen?

Augurium in sono vocis constat: Auspicia vltrò veniunt: Auguria consequuntur auspicia in volatu auium. Omen rei qualitas est, quod etiam ex ore humano fit.

Inter auidum, & insatiabilem, & cupidum?

Auidus habet mensuræ modum: Insatiabilis est qui non potest satiari: Cupidus verò in vtroq; intelligitur.

Inter auctoritatem, et dignitatem?

Auctoritas ab augendo vocabulum sumsit: Dignitas dignum honoris eum ostendit, qui meretur.

Inter auxilium, et præsidium, et subsidium?

Auxilium est ab extraneis petitum in adiutorium, & auget vires partis eius, cui accessit: Præsidium ante præparatum est, sed in præsenti offertur periculo: Subsidium reseruatur & in ipso periculo subditur. Alij ita distinguunt: Auxilium laborantibus mittitur: Præsidium præparatur: Subsidium reseruatur, vt cum exegerit necessitas, detur.

Inter accupo, et aucupor?

Aucupo est cupio: Aucupor autem capto. Ita alterum est operis: alterum dulcedinis.

Inter auarum, & cupidum?

Auarus est qui suis sibi vtitur: Cupidus qui aliena desiderat.

Inter aureum, et auratum, & inauratum?

Aureum est quod ex puro auro est factum: Auratum quod ex alia materia est factum, & mixtum habet aurum: Inauratum quod totum est deforis auro opertum.

Inter auferre, et adimere, et eripere?

Auferimus iure: Adimimus iussione: Eripimus voluntate.

Inter audentem, et audacem, et temerarium?

Audens rationem vt ducem sequitur: Audax est qui periculum non timet, & nimia effertur fiducia: Temerarius est qui periculum non existimat, & sine consilio agit.

Inter auenam, et habenam?

Auena est gramen: Habena autem retinaculum.



Inter basium, & osculum, & suauium?

Basium est pietatis: Osculum amicitiæ: Suauium luxuriæ.

Inter beneficium, & opem?

Beneficium gratia damus: Opem misericordia. Beneficium quod æqualibus nobis damus: Opem inferioribus.

Inter bellum, & duellum?

Bellum dicitur quod fit inter exteras gentes: Duellum inter ciues, quod diuellatur populus in duas partes.

Inter bellum, & prælium, & pugnam, & certamen, & aciem?

Bellum est dissensio populorum in arma tendens, & bellum indicitur: Prælium geritur: Pugna inter duos & inter plures est, aliquando sine ferro: Certamen virtutis loco ponitur: Acies instructio exercitus est, vel prima pars ferri quæ secat, vel oculorum visus.

Inter

Inter bellatorem, & belligerum, & bellicum, & bellicosum?

Bellator bellis familiaris est, sicut prædator prædis imminens: Belliger dicitur qui bellum gerit: Bellicus tumultus aut motus pugnæ est, sicut hosticus dicitur, & ciuicus: Bellicosus appellatur aliquoties bellum expertus, sicut lapidosus, seditiosus.

Inter Beatum, & opulentum, & pecuniosum, & copiosum, & diuitem, & locupletem, & fortunatum, & honestum?

Beatus dicitur aut sapiens aut proximus immortalitati: Opulentus dicitur qui opes suo labore quæsitas habet: Pecuniosus à pecoribus dictus: Copiosus est qui quæsitas multa cum industria opes habet: Diues per Dei indulgentiam copiosus est: Locuples à locorum copia dicitur: Fortunatus fortunis viget: Honestus dignitate & moribus.

Inter benignum, & liberalem, & largum?

Benignus qui benè agendo quod dat prosequitur: Liberalis qui ex suis rebus iustè tribuit: Largus est qui quod dat copiosè & plenè largitur.

Inter Beniuolum, et Beniuolentem?

Beniuolus est semper bonæ voluntatis: Beniuolens aliquando. Ita alterum naturæ est, alterum temporis.

Inter bibere, et potare?

Bibimus necessitate: Potamus voluptate. Alij dicunt, Bibere naturæ est: Potare voluptatis.

Inter bonum, & pulcrum, & egregium, et eximium, et præclarum, et magnificum, et nobilem?

Bonus animo: Pulcer corpore: Egregius est velut, e grege electus: Eximius ob eminentiam exemtus à cæteris: Præclarus operis claritate: Magnificus virtutibus magnus factus: Nobilis notus bello, id est, fortitudine insignis.

Inter

Inter breue, et pusillum, et paruum, et exiguum?

Breue est quidquid longo contrarium est: Pusillum magno: Paruum multo: Exiguum minimæ portionis.

Inter Bustum, et monumentum, et tumulum, et sepulcrum?

Bustum appellatur vbi cadauera hominum sunt combusta: Monumentum tam operis quam famæ dicitur, ideo quod mentes moueat: Tumulus congeries terræ super mortuum, à tumore dictus: Sepulcrum in quo reliquiæ defunctorum poni solent.



DE

Inter carceres, & carcerem?

CArceres sunt vnde quadrigæ emittuntur appellati: Carcer verò in quem pœnæ nomine malefici includuntur, à coercendo dictus.

Inter cauum, & cauatum, & concauum?

Cauum naturaliter est: Cauatum manu fit: Concauum in vtroq; intelligitur.

Inter cominus, & eminus?

Cominus propè, iuxta: Eminus longè.

Inter canere, & cantare?

Canere est cantare semper suaui modulatione: cantare solummodo voce.

Inter carmen, & poëma?

Carmen dictum est à carmenta matre Euandri: Poëma è Græcis.

Inter casu, & fortuitu?

Casus est quod aduersum cadit: Fortuitum ambiguum est, id est, aduersè & prospere.

Inter

Inter cauſidicum, & oratorem?

Ad cauſidicum ipſius cauſæ dictio pertinet, non argumentatio: In oratore omnia inſunt.

Inter cauſam, & rationem?

Cauſa multas habet ſpecies: Ratio pauciſsimas. Et quod cauſa deſideratur, ratione efficitur. Et cauſa remanente cedit ratio.

Inter cadere, & decidere, & concidere?

Cadere eſt in veſtigio: Decidere ex alto: concidere ſimul cadere.

Inter capere, et decipere?

Capimus merentes: Decipimus innocentes. Aut Capimus arte: Decipimus inſidiosè.

Inter caſſum, et inanem, et vacuum?

Caſſum eſt veluti quaſſum, quod nullius vſus eſſe poſsit, à cadendo nomen trahens: Inane eſt, quod ſimilitudine veri decipit: Vacuum quod repleri ſolet.

Inter

Inter castam, et pudicam, et sanctam?

Casta corpore, id est, virgo: Pudica animo, sed etiam nupta: Sancta non solùm corpore, sed & animo integra.

Inter castitatem, et sanctimoniam?

Castitas corporis: Sanctimonia religionis est.

Inter capillatum, et capillosum?

Capillatus capillos grandes habentem significat: Capillosus hirsutum demonstrat.

Inter cautes, et saxa, et rupes, et scopulos?

Cautes sunt asperrimæ montium partes: Saxa quæ magnitudine prægrauantur: Rupes propriè onere abrumpuntur: Scopuli saxa in mari eminentia sunt, à Græca translatione dicti.

Inter cædere, et verberare?

Cædere etiam manu quis dicitur: verberare flagellare est.

Inter cælum, & cæleſtes, & cæli-
tes, & cælicolas?

Cælum eſt hoc elementum quod videmus: Cæleſtes noti cœlo: Cælites qui ex mortalibus iter ſibi virtutibus in cælum fecerunt: Cælicolæ dicuntur, qui in cœlo habitant.

Inter cerulum, & ceruleum?

Cerulum dicimus ipſum colorem: Ceruleum quod de cerulo conſtat.

Inter celebrare, & frequentare?

Celebramus propriè religione: Frequentamus aſsiduitate & frequentia.

Inter celeritatem, & velocitatem?

Celeritas animorum eſt atq; factorum: Velocitas pedum eſt & corporum.

Inter cedere, & concedere?

Cedimus cum quis beneficium petit: concedimus cum veniam impetrat.

Inter certum, & verum?

Certum poteſt fieri incertum: Verum contrarium falſo & mendacio.

Inter certamen, & contentionem?

Certamen virtutis æmulatio eſt: Contentio altercatio eſt.

Inter ciuicam coronam, & ciuilem coronam?

Ciuica corona eſt quæ datur ob ciuem ſeruatum: Ciuilis autem etiam ſcenica dicitur, quod ciuili more datur, id eſt, conſuetudine. Altera datur propter ciuitatem, altera in ciuitate.

Inter ciuile bellum, & domeſticum, & inteſtinum?

Ciuile bellum ex ciuibus conſtat: Domeſticum ex domeſticis: Inteſtinum ex parentibus, tanquam inter ius geratur.

Inter citatus et incitatus?

Citatus ſponte dicitur: Incitatus ab alio.

Inter cinerem, et cineres?

Cinis in foco dicitur: Cineres defunctorum appellantur.

Inter

Inter circa, et circum, et circiter?

Circa eſt incerti loci ſignatio, vt circa forum: Circum certi vndiq;, vt circum arbores, vel nomen loci vbi ſpectacula dantur: Circiter numeri penè infiniti, vt circiter decem milia, id eſt, plus minuſue.

Inter clipeum, et clupeum?

Clipeus dicitur quo vtuntur in prælio, id eſt, ſcutum: Clupeum autem in quo imagines præponuntur, à cluendo: Vnde & nobiles incluti dicuntur.

Inter clarum, et illuſtrem, et inſignem?

Clarus eſt qui famam honoribus publicauit: Illuſtris qui fama illuſtratus eſt, id eſt, laudibus circumfertur: Inſignis qui virtute admirabilis eſt.

Inter clamorem, et clangorem?

Clamor rationabilium, id eſt, hominum eſt: Clangor irrationabilium, vt anſerum & tubarum.

Inter clementem, & mansuetum, & modestum?

Clemens inclinatus est ad bonitatem & pietatem mentis: Mansuetus manu assuetus, per translationem à mutis animalibus: Modestus modum rebus temperatis adhibere consuetus.

Inter copulam, & catenam?

Copula sociat & coniungit, vt in matrimonijs: Catena nectit vel ligat, vt reos.

Inter conticere, & obticere, & reticere?

Conticuit qui vndiq; silentium præstitit: Obticuit qui nullam spem loquendi reliquit: Reticuit qui silentium respondendi reliquit.

Inter consilium, & sententiam?

Consilium cogitatio est: Sententia consilij pronunciatio.

Inter consilium dare, & suadere?

Consilium damus desiderantibus: Suademus nostra voluntate.

Inter

Inter columbos, & palumbos?

Columbi ſunt qui manſuefieri poſſunt: Palumbi ſunt ſilueſtres & ſaxis ſiluiſq; in habitantes.

Inter conſueſcere, & inſueſcere, & aſſueſcere?

Conſueſcimus bonis: inſueſcimus malis: aſſueſcimus vtriſq;.

Inter commodant, & mutuo dant?

Commodamus pro tempore, vt amico veſtem, animal, ſeruum: Mutuo damus triticum, vinum, oleum & ſimilia quæ mutuo recipiuntur.

Inter cortem, & cohortem, & caſtra?

Cortes ſunt ruſticorum: Cohortes militum: Caſtra verò à coartatione dicta, quibus vtuntur in prælio.

Inter controuerſiam, & litem?

Controuerſia eſt contentio in agendo: Lis acta iam tabellis conſignatis.

Inter

Inter constantem, et pertinacem, et perseuerantem?

Constans homo consilio vtitur: Pertinax in vitio est: Perseuerans in virtute.

Inter coniugium, et connubium, et matrimonium?

Coniugium etiam inter seruos: Connubium inter gentes exteras: Matrimonium inter ciues.

Inter cogitare, et deliberare?

Cogitat qui solus expedit à se consilium, quid faciendum sit, dictum ab eo quod mentem cogat: Qui verò deliberat, cum deuotis amicis rem quam cogitat exponit, & exquirit eorum sententias.

Inter conspicatus, et conspectus?

Conspicatus est veluti agendi principio videns: Conspectus ab aliquo dicitur, vt sit patiendi.

Inter colere, et incolere, et venerari, et diligere, et suspicere?

Colimus dominum vel agrum: Incolimus solummodo agrum: Veneramur tan-

tùm

tùm dominum, vt qui deo seruimus: Diligimus amicos vel caros: Suspicimus autem potentes, vel sursum aspicimus.

Inter concilium, et conuentum, et cœtum, et coitum?

Concilium est conuocata multitudo: Conuentus ex diuersis locis populum in vnum contrahit: Cœtus fortuitò congregatur: Coitus duorum corporum inter se coniunctio, vt maris & fœminæ.

Inter consensionem, et consensum?

Consensio incipit: Consensus consummatus est.

Inter compendium, et lucrum, et prædam?

Compendium exiguum: Lucrum amplum est & ex negotio fit: Præda verò ex hoste.

Inter comatum, et comosum?

Comatus cura fit: Comosus natura.

Inter commentarius, et commentarium?

Commentarius liber est: Commentarium volumen.

Inter cognatum, & propinquum?

Cognatus eſt eiuſdem originis, vel adueniens nuptijs: Propinquus conſanguinitate vel affinitate iunctus.

Inter comburere, & ſepelire?

Comburere eſt igni dare: Sepelire eſt humare, id eſt, quaſi humi dare, vel obruere oſſa vel corpora.

Inter commune, & promiſcuum?

Commune articulis diſtinguitur: Promiſcuum ſub vno articulo vtrumque complectitur.

Inter colonum, & incolam, & accolam?

Colonus eſt qui ab imperatore deducitur: Incola qui locum incolit: Accola verò qui circa incolam colit.

Inter coram, & palam?

Coram in perſona accipimus, vt coram hoc: Palam nihil aliud quam apertè, vel hominum præſentiam notat.

Inter cornua, & cornu, & cornum, & colurnum?

Cornua ſunt animalium vt boum, vel antemnæ nauium : Corna poma cuiuſdam arboris : cornus arboris genus : Colurnus ſimiliter genus arboris.

Inter creare, & procreare?

Creatur magiſtratus ad honores gerendos : procreantur filij vel nepotes.

Inter credulum, & credibilem?

Credulus eſt qui credit aliquid : Credibilis eſt cui creditur.

Inter criminatorem, & crimino- ſum?

Criminator eſt qui crimen alteri infert, & hoc ſæpius facit : Criminoſus qui cum crimen infert ſuſpicioſè quoq; id facit.

Inter cunctos, & vniuerſos, et omnes?

Cuncti ſunt qui vbiq; ſunt : Vniuerſi qui in vno loco ſunt : Omnes qui in diuerſis ſunt locis.

Inter cupiditatem, et voluntatem?

Cupiditas neceſsitatem infert : Volun-

tas libera eſt. Et cupiditas temperantiæ eſt: voluntas moderationis.

Inter curuatur, et flectitur?

Curuatur à ſe: Flectitur manibus.

Inter cuſtoditur, et ſeruatur, et obſeruatur?

Cuſtodimus incluſos vel vinctos, vnde cuſtodia dicitur: Seruamus aſpectu: Obſeruamus alios quid faciant.

Inter cuſtodes, et cuſtodias?

Cuſtodes dicimus qui cuſtodiunt: Cuſtodias verò eos qui cuſtodiuntur.

Inter curam, et diligentiam?

Cura dicitur quia cor haurit, id eſt, minuit, & cruciatum habet, quia cor vrit: Diligentia eſt rerum ammiſtratio, & eſt contrarium negligentiæ.



DE

Inter da, et cedo, et dona?

Da imperandi est : Cedo hortandi : Dona obsecrandi. Siue quomodo dicimus, Da alteri : Cedo mihi : Dona illi.

Inter damnationem, et condemnationem?

Damnatio est publici iudicij, quo rei capitis periculo puniuntur : Condemnatio priuati Iudicij est.

Inter damnatum, et condemnatum?

Damnatus vel ab vno est, vel semel: condemnatus vel à pluribus vel sæpius.

Inter damnum, et iacturam, et detrimentum, et dispendium?

Damnum subitò & nescientibus nobis fit: Iacturam scientes & vltrò patimur: Dispendium quando quod demus absit : Detrimentum leue damnum est.

Inter Dardanam, et Dardaniam, et Dardanicam.

Dardana mulier: Dardania regio: Dardanica verò tam res, quam cædes habetur.

Inter decorem, et decus?

Decor in corpore: Decus in animi virtute quæsitum.

Inter Deum, et Deos?

Deus natura est, & semper: Dij qui ex hominibus in Deorum nominibus consecrantur.

Inter desertum, et derelictum?

Desertus semper: Derelictus itinere.

Inter decretum, et edictum?

Decreto homines coërcentur: Edicto monentur.

Inter decernere, et pronunciare?

Decernit magistratus: Pronunciat iudex.

Inter demittere, et dimittere, et relinquere?

Demittimus cum dicimus de superiori parte: Dimittimus à nobis aliquem: Relinquimus aliquos vel aliquot.

Inter

Inter deforme, et turpe?

Deforme ad corpus refertur: Turpe ad animum.

Inter deformem, et informem?

Deformis cui deest forma: Informis est vltra formam.

Inter decentem, et formosum?

Decens motu corporis probatur: Formosus natura.

Inter dextram, et dexteram?

Quidam sic distinguunt: Quod dextra hominis sit: Dextera auis: Sed & dextera hominis dicitur.

Inter directum, et derectum?

Directum in rectum vadens: Derectum in latera rectum.

Inter Derigere, et Dirigere?

Derigimus quæ curua sunt: Dirigimus cum aliquo tendimus:

Inter deuncem, et diuncem?

Deuncem decem vncias dicimus: Diuncem verò vndecem.

Inter

Inter delictum, et peccatum?

Delictum eſt quaſi derelictum quod fieri debuit, id eſt, quādo non facimus ea quæ facere debemus: Peccatum eſt dum committimus ea quæ non debemus.

Inter deprecari, et precari?

Deprecamur Deum: Precamur homines.

Inter diuinitatem, et diuinationem?

Diuinitas ad potentiam numinis refertur: Diuinatio futurorum præſcios facit.

Inter diſparem, et parem, et imparem, et ſeparem?

Diſpar eſt in æqualis: Par æqualis: Impar eſt ſine pare: Separ humilior.

Inter diſcolorem, et verſicolorem?

Diſcolor diſparis coloris eſt, id eſt, varij coloris, vt pardus: Verſicolor autem ex colore in alium colorem vertitur, vt ſolitus eſt facere marinus polypus.

Inter diſcumbere, et accumbere, et recumbere, et ſuccumbere, et procumbere, et concumbere?

Diſcum-

Diſcumbunt diuerſis partibus plures: Accumbunt alicui applicati: Recumbunt retrouerſi, id eſt, ſupini: Succumbunt qui viribus alterius ſeſubdunt: Procumbunt ſupplices, quaſi prorecumbunt: Concumbunt inſtinctu libidinoſo.

Inter diuturnum, et diurnum, et diutinum?

Diuturnum à perpetuitate dictum, id eſt longi temporus ſpacio: Diurnum dicimus rationem quæ cottidie conficitur: Diutinum quod eſt & diu durauit.

Inter dimidium, et dimidiatum?

Dimidium eſt ex integro in duas pars diuiſo pars æqualis: Dimidiatum autem portio de dimidio.

Inter diſtinſtionem, et ſubdiſtinctionem?

Diſtinctio finit ſententiam: Subdiſtinctio verò ſuſpendit & quaſi morulam facit.

Inter diſcernere, et ſecernere?

Diſcernit in duas partes diuidit: Secernit verò ex multis.

Inter

Inter dissentibilem, et dissensibilem?

Dissentibilis est de quo dissentitur: Dissensibilis verò is qui dissentit.

Inter diruere, et exscindere?

Diruit qui captam vrbem ad solum vsque prosternit: Exscindit qui singulas partes paulatim capiendo delet.

Inter diripere, et deripere?

Diripimus cum laceramus, & in diuersas partes deducimus: Deripimus autem cum ex superiori parte in inferiorem rapimus.

Inter dilectum, et delictum?

Dilectum à diligendo dictum est: Delectum verò à deligendo. Ita dilectum affectionis est: Delectum iudicij.

Inter disertum, et desertum?

Disertus orator est: Desertus derelictus.

Inter diluere, et deluere?

Diluit temperat: Deluit purgat.

Inter

Inter delatorem, & dilatorem?

Delator qui defert ad accuſandum: Dilator qui differt ad proferendum.

Inter donare, & tribuere?

Donat aliquis vni: Tribuit pluribus.

Inter donum, & munus?

Donum dantis: Munus accipientis. Illud à donando, hoc à muniendo.

Inter dona, & præmia, & munera, & munia?

Dona omnibus dantur: Præmia victoribus tribuuntur: Munera Deo offeruntur. Et munera dicuntur, quibus milites officio funguntur, quæ quidam munia vocant.

Inter dolum, & dolorem?

Dolus fraudem ſignificat: Dolor verò incommodum corporis demonſtrat.

Inter ducem, & ductorem, & ducatorem?

Dux eſt qui ſemel duxit exercitum: Ductor qui ſæpius: Ducator eſt qui viam demonſtrat.

Inter dulcedinem, & dulcitudinem, & suauitatem, & dulce, & suaue, & acidum?

Dulcedo in gustu est: Dulcitudo in animo: Suauitatem multi dicunt vtique esse ipsam dulcedinem. Dulce enim mel dicimus & suaue: Acidum quod non est dulce.



Inter ebrium, & ebriosum?

EBrium dici, ad diem multum bibisse significat: Ebriosum verò semper multum bibere demonstrat.

Inter egentiam, & inopiam, & miseriam, & pauperiem, & penuriam?

Egentia eorum est qui opes suas sine ratione gesserunt, & alienis coguntur egere: Inopia eius est, cui nullæ opes ad victum assunt: Miseria dicitur in eos qui seruilibus ministeriis premuntur & exiguntur à Dominis: Pauperies eorum dicitur, qui cum plus amiserint, paucis rebus suis contenti sunt: Penuria est summa inopia, quæ penè vrit homines.

Inter hostiam, & victimam?

Hostia dicitur antequam pergatur ad bellum: Victima per quam remeatur cum victoria deuictis hostibus.

Inter elinguem, et elinguatorem?

Elinguis habet linguam, sed vsu eius caret: Elinguator verò sine lingua est.

Inter eloquentiam, & eloquium?

Eloquentia artis & prudentiæ est, id est, loquendi electa facultas: Eloquium verò cum custodia etiam artis.

Inter eloquentem, & disertum?

Eloquens vel naturaliter est, vel arte instructus: Disertus verò dicitur à differendo causas rerum, & eloquentiæ proximus habetur.

Inter en, & em, & hem?

En cum ostendis, id est, ecce: Em cum increpas: Hem cum dicis, dolor iram mouet cum ammiratione, vel cogitatio stuporem.

Inter ensem, & gladium?

Ensis est ferrum per se: Gladius totus.

Inter eruere, & diruere?

Eruuntur latebræ: Diruuntur eminentia.

Inter eu, & heus, & heu?

Eu interrectio est laudantis: Heus & heu dolentis vel gementis.

Inter excidium, & exitium?

Excidium vrbium euerſio: Exitium mortalium eſt.

Inter exterum, & extraneum?

Exterus alienus, quaſi extra terram: Extraneus quaſi extra ianuam.

Inter exultationem, & inſultationem?

Exultatio gaudium ſignificat: Inſultatio malis alicuius gratulari demonſtrat.

Inter exercitum, & exercitatum?

Exercitus laboribus: Exercitatus ſtudijs.

Inter exequi, & perſequi, & conſequi, & proſequi?

Exequimur ſtudijs mortuum: Perſequimur fugientem: Conſequimur ad finem: Proſequimur cum officio fungimur.

Inter exanimum, & inanimum?

Exanimus qui vita priuatus eſt: Inanimus qui nunquam animam habuit.

Inter fedum, turpem?

FEdus sordibus maculatus: Turpis actu contemtibilis.

Inter fallacem, & pellacem?

Fallax infidelis dicitur: Pellax in verbis, appellando & peruersa loquendo.

Inter facinus, & nefas, & scelus?

Facinus à fato dicitur, id est, locuto, quod etiam in laude rectè dicitur, vt Salustius dixit bonum facinus: Nefas abominatum est: Scelus crimen est quod committitur.

Inter famam, & opinionem, & rumorem, & existimationem?

Fama promulgationem habet: Opinio iudicium: Rumor incertitudinem: Existimatio suspicionem.

Inter facultatem, & facilitatem?

Facultas cuiuslibet rei copia est: Facilitas expeditio est rerum.

Inter

Inter facetias, & dicacitatem?

Facetiæ in continuando ſermone cernuntur: Dicacitas in acutè & breuiter dictis ad hominum riſum.

Inter famulum, & ſeruum, & mancipium?

Famulus quaſi vnus ex familia eſſe videtur: Seruus conditione ſeruitutis oſtenditur: Mancipium quaſi ab hoſtibus manu captum.

Inter fatuum, & ſtupidum?

Fatuus dictus à fando, de cuius affatione fama loquitur: Stupidus verò quaſi lapideus.

Inter famoſum, & infamen?

Famoſus eſt de quo fama loquitur ſiue benè ſiue malè: Infamis eſt malæ famæ.

Inter faſtus, & faſtos?

Faſtus ſuperbia dicitur: Faſtos de libris faſtorum dicimus.

Inter fari, & loqui, & ſermocinari, & narrare?

Famur cum aliquid fraude dicimus: loquimur natura: Sermocinamur quando cum aliquo ſermonem conferimus, id eſt, inuicem dicimus: narramus quando ſoli loquimur apud alios.

Inter fetum, & partum?

Fetus terræ eſt: Partus hominum.

Inter feruorem, & furorem?

Feruor animi eſt ad tempus: Furor inſaniæ. Ita alterum ira facit, alterum vitium.

Inter ferocem, & ferum?

Ferox animo eſt: Ferus natura.

Inter feſtinationem, & properationem?

Feſtinatio præcipitem habet omnis rei facilitatem: Properatio quod cupit ſua voluntate maturè perficit. Itaq; repellit properatio inertiam: Feſtinatio ſumma comprehenditur celeritate.

Inter feras, & beſtias, & beluas?

Feræ ſunt ſilueſtres: Beſtiæ etiam ſerpentes ſunt: Beluæ verò marinæ.

Inter

Inter fessum, & fagitatum, & lassum.

Fessus animo & cura: Fatigatus itineris motu: Lassus verò dicitur labore vel multo itinere.

Inter fertilem, & fructuosum?

Fertilis ager est: Fructuosus qui cuiq; compendio est.

Inter festa, & sollemnia?

Festa ex consuetudine dicuntur, & in religione sunt: Sollemnia in ritu, quod ad homines pertinent, vt parentalia. Et cum quis defuncto officia expleuit, dicimus eum sollemnia præstitisse.

Inter figuram, & formam?

Figura artis opus est: Forma naturæ bonitas, ex qua formosus est:

Inter finitum, & finitiuum?

Finitum est, quod iam finem accepit: Finitiuum quod potest finiri.

Inter fidum, & fidelem?

Fidus amicus: Fidelis seruus.

Inter fines, & affines?

Finis vltimas partes cuiuslibet rei demonstrat: Affines vicini proximi, vel affinitate, id est, propinquitate iuncti.

Inter firmum, & valentem?

Firmus ex firmitate dicitur: Valens verò præcipuis viribus athleta.

Inter fiduciam, & confidentiam?

Fiducia habetur honestatis: Confidentia est cum vitio temeritatis.

Inter flagitare, & poscere?

Flagitare cum clamore & pertinacia petere, vel commonere: Poscere est suppliciter & summiße petere.

Inter florere, et florescere?

Florere in effectu est: Florescere incipere florere.

Inter formidinosum, & formidolosum?

Formidinosus locus est vbi formidines multæ

multæ sunt: Formidolosus verò homo timidus.

Inter fors, & fortunam, & felicitatem?

Fors casus est, tanquam sors, & mors: Fortuna data est: Felicitas opum est.

Inter formam, & formositatem?

Forma dignitatis: Formositas in luxuriosis.

Inter forfices, & forcipes?

Forfex genus ferramenti quod incidit & designat: Forcipes verò aliquid tenent.

Inter fruges, & fructus?

Fruges segetum sunt, quæ ad genera pertinent: Fructus generantur tanquam arbor.

Inter fraudem, & dolum, & insidias

Fraus circumscribit: Insidiæ præparantur vt noceant: Dolo tacitè aliqui petuntur. Ita fraus arte decipit: Insidiæ vi: Dolus consilio nocet.

Inter

Inter frequentiam, & turbam?

Frequentia aßiduitas vrbis: Turbam faciunt angustiæ loci, & aliquando officium vel tumultus.

Inter frictum, & frixum?

Frictum à frico, fricas, dictum est: frixum est à frigendo, vt in sartagine.

Inter furem, & furacem?

Furem semel furantem dicimus: Furacem qui aßiduè hoc agat.

Inter furtim, & furaciter.

Furtim est clam & occultè: furaciter furem imitatur.

Inter fulmen, & fulgur?

Fulmen est quo terretur mortalitas, vel etiam iaculum: Fulgur verò reliquiæ fulminis, quod visum oculorum perstringit: Fulgor splendor luminis. Ita fulmen ferit, fulgur concutitur, fulgor apparet.

Inter fulgere, & splendere?

Fulget natura: Splendet cura, vt argentum tersum.

Inter

Inter furiosum, & furentem, & iratum?

Furiosus est morbo: Furens ex causa: Iratus inimico.

Inter funebre, & funestum, & funalia?

Funebre est quod funeris instrumentum est: Funestum verò quod funere coinquinatum est, id est, funestia: Funalia dicimus, quæ aliquo funere polluta sunt, quo minus sacra peragere possunt.

Inter fungi, & defungi?

Fungi agere est: Defungi peragere vel mori.



DE

Inter gaudere, & lætari, & exultare?

GAudemus animo de vna re: Lætamur per omnia: Exultamus etiam in verbis membrisq́.

Inter Gallum, & Gallicum, & Gallicanum?

Gallum hodie dicimus natum hominem in Gallia: Gallicum ex Gallica natum: Gallicanum morem dicimus vel negotium.

Inter germanum, & fratrem?

Germanus ex vtrisq́ parentibus est, vel maximè qui ex eodem patre est, velut ex eodem germine, hoc est, semine: Frater ex alio patre esse potest. Et frater multis modis dici potest, aut natura, aut consanguinitate, aut gente, aut regione.

Inter genium, et genus?

Genium ad honorem priuatum referimus: Genus publicum est.

Inter generosum, & nobilem, & notum?

Generosus nascitur & boni generis est: Nobilis opibus factus: Notus assidua conuersatione fit.

Inter generaliter, & specialiter?

Generaliter omnia complectitur: Specialiter vnum.

Inter gerere, & ferre?

Gerimus nostra, veluti quæ naturaliter in nobis sunt: Ferimus verò ingesta nobis, velut onus.

Inter genus, et gentem, et gentes, et nationes?

Genus ad qualitatem fertur, tam hominum quam ferarum & pomorum: Gens ad congregationem plurimorum ab vno capite descendentium, vt est gens Germanorum: Gentes ad modum referuntur, vt plurimæ gentes: Nationes in regionibus considerantur, vt Hispaniæ nationes, vel cæterarum regionum.

Inter gradum, et gressum?

Gradus

Gradus naturæ est: Gressus virium.

Inter grauidam, & grauem?

Grauida ventris onere est: Grauis sarcina. Et homo tamen grauis moribus.

Inter graue, & ponderosum?

Graue secundum ferentis qualitatem est: Ponderosum per naturam.

Inter grates, & gratias?

Grates Deo aguntur: Gratia verò etiam hominibus. Quoniam grates referri non possunt, idcirco Deo optimè conueniunt. Itaq; grates agimus tantùm, gratias etiam referimus.

Inter Græcum, Græcanicum, & & Græcense?

Græcus homo dicitur: Græcanica res, vt scamnum, ianua: Græcense quale solet fieri in Græcia.

Inter grassari, crassari?

Grassari animi est & crudelitatis: Crassari corporis est vel pinguedinis.

Inter guttam, & stillam?

Gutta

Gutta grauioris est generis, vt mellis: Stilla leuioris, vt aquæ. Aut gutta dicitur cum iam ceciderit: Stilla cum ad huc pendet, vel cum cadit.

Inter gurgitem, et ſtagnum?
Gurges vnde impetus, vel gurges
luculenta aquæ collectio:
Stagnum aqua-
rum.



Deerat in M. S. litera I. & H: abſciſſa membrana.

Inter lasciuum, & petulantem?

LAsciuus vsu: Petulans temeritate.

Inter laurum, & laureum?

Laurus est ipsa arbor: Laurea corona vel virga de lauru facta.

Inter labia, & labra, & rostra?

Labia sunt hominum: Labra ferarum: Rostra volucrum, quæ non nisi incurua sunt.

Inter letum, & mortem?

Letum per se venit, & sine extranea vi: Mors etiam infertur.

Inter legatum, & oratorem?

Legatus electus est ad officium ex ciuitate: Orator ad orandum missus, vt oris ratione exponat quod petit.

Inter legionem, & exercitum, & classem?

Legio numerus est militum consummatus, ab electione virorum dictus: Exercitus

ercitus multitudo legionum est: Classis turba, & interdum conspiratio iuuenum.

Inter lèporem, & lepôrem?

Lepus animal timidum: Lepos iocunditas voluptatis. Vnde & gratum aliquid lepidum dicimus.

Inter litora, & ripas?

Litora dicuntur in mari, ab illisione fluctuum: Ripæ in fluminibus, quod secundum eas aqua repat.

Inter litigiosum, & litigatorem?

Litigiosus dicitur de quo litigatur, vt ager: Litigator ipse est, qui litigat.

Inter ligare, & legare,

Ligat vinculo: Legat testamento.

Inter liberos, & filios?

Liberi in vtroq; sexu: Filij masculino genere ponuntur. Et quod filij in numero singulari vocari possunt: Liberi vero non. Nemo enim dicit, qui habet filium vnum, liberum habet. Item filij promiscuè dicuntur tam ingenui, quam serui: Liberi verò, non dicuntur nisi ingenui.

Inter loqui, et obloqui?

Loqui hominum est: Obloqui obtrectatoris.

Inter lucem, et lumen?

Lux oritur: Lumen accenditur. Ita alterum præbet diuina maiestas: Alterum hominis officium præstat.

Inter lustrare, et circumire?

Lustrare vstulando, aut alicuius generis sacrificium ad piaculum faciendo: Circumit, qui tantum in circuitu vadit.

Inter lustra productè, et lustra correptè?

Lustra productè certa tempora, id est, quinque annos designant: Lustra correptè latibula ferarum, vel hominum receptacula demonstrant.

Inter ludibrium, et ludicrum?

Ludibrium in alterius contumelia est: Ludicrum autem quo ipsi delectamur sine alterius contumelia.

DE

Inter mare, et pelagus?

MAre veluti breue est: Pelagus altissimum mare.

Inter malum, et malum, et mala?

Malus masculino genere prima producta syllaba, arborem nauis ostendit: Malus fœminini generis arborem poma ferentem: Mala autem poma dicuntur.

Inter magis, et potius?

Magis sic alterum ex duobus fert, vt vtrunque probet: Potius alterum probat, alterum damnat.

Inter magnum, et grande?

Magnum ad animum pertinet: Grande ad corpus redigitur.

Inter mœstitiam, et tristitiam?

Mœstitia temporis est, & fit aliquando præsens ex dolore nata: Tristitia vero vitium perpetuo tempore.

Inter maritimum, et marinum?

Maritimum iuxta mare positum, vel

mari adiacens: Marinum verò ex ipso mari est.

Inter mingere, & meiere?

Mingere est semel vrinam facere: meiere sæpius.

Inter merosum, & meracum?

Merosum vinum dicimus: Meracum potionem appellamus.

Inter mero, & meror?

Mero animo, simplici vel fido dicitur: Meror animi tristitia est.

Inter mersare, & mergere?

Mersare sæpius: Mergere semel.

Inter meret, & meretur?

Meret qui tristitiam habet: Meretur qui aliquando dignus est venia.

Inter meditari, & militare?

Meditamur animo, vt lectione: militamus corpore, vt exercicu.

Inter memorem, & memoriosum?

Memo-

Memor beneficij vel iniuriæ: Memoriosus ad naturam refertur, id est, qui multum potest retinere.

Inter mendam, & peccatum?

Menda propriè in libro est, vnde emendare est mendam diluere: Peccatum verò in cæteris rebus.

Inter metum, & timorem, & formidinem, & pauorem?

Metus est corporis, qui pendet etiam in religione, vnde dicimus Deum metuentes: Timor est animi motus incertus, vel subita mentis consternatio: Formido mentis est semper obnoxia omnibus casibus: Pauor est subitò trepidantis affectus, vnde & pauida iumenta dicimus.

Inter vereri, & timere?

Veremur quàm maximè parentes: Timere est animi vitium sempiternum.

Inter mihi, & mi?

Mihi Datiuum casum significat: Mi Vocatiuum casum figuratè, vel affectuosè demonstrat, à meus.

Inter miserationem, et misericordiam?

Miseratio detestanda est, nam calamitatis mos est: Misericordia parcit & succurrit periclitantibus.

Inter misereri, et miserari?

Miseremur cum eodem tempore dolemus de alicuius casu, & subuenimus laboranti: Miseramur quando tantùm consolamur & affectu condolemus.

Inter migrare, et nigrare?

Migrare in locum transferre: Nigrare est aliquam rem nigram facere.

Inter mirari, et ammirari?

Miramur opera: Ammiramur virtutes.

Inter mœnia, et ædificia?

Mœnia publicorum sunt: Ædificia priuatorum.

Inter moram, et tarditatem?

Mora est quæ impedit: Tarditas quæ impeditur: Ita mora est causa alterius.

Inter

Inter monſtrare, et demonſtrare?

Monſtramus ſemel: Demonſtramus ſæpius.

Inter morem, et conſuetudinem, et vſum, et ritum?

Mos eſt diuinarum humanarumque rerum: Conſuetudo ſolitæ rei: Vſus earum rerum quæ duorum multorumue ſunt: Ritus ad rectitudinem pertinet, ex quo pium, æquum, ſanctumque perſpicimus.

Inter munificum, et magnificum?

Munificus eſt qui donat: Magnificus qui nihil ſordidæ rei facit.

Inter multitudinem, et turbam?

Multitudo numero fit: Turba loco. Poſſunt enim pauci turbam in anguſto loco facere.



Inter natalem, & annalem?

Natalis vnius diei est: Annalis totius anni acta habet.

Inter natum, & gnatum?

Natus participialiter dicitur: Gnatus verò filius à generatione.

Inter nascitur, & coalescit?

Nascitur quod de vtero decidit: Coalescit quod de terra & aqua exurgit.

Inter nequaquam, & nequicquam?

Nequaquam nullo modo significat: Nequicquam, id est, superuacuè.

Inter neminem, & nullum?

Neminem ad hominem referimus, estq; nemo quasi nec homo: Nullum ad omnia.

Inter nepotem, & neptem?

Nepos masculum significat: Neptis verò fœminam demonstrat.

Inter necessitatem, & necessitudinem?

Necessi-

Necessitas aliquid fieri cogit: Necessitudo vinculum propinquitatis est.

Inter nescire, & ignorare?

Nescit qui omnium notitia caret: Ignorat qui aliquid nescit.

Inter nefarium, & nefandum?

Nefarius de præteritis intelligitur: Nefandus in opere.

Inter nitidum, & nitentem?

Nitidus nomen est, & recipit qualitatem, & comparationem & superlationem, ut nitidus, nitidior, nitidissimus: Nitens participium, & facit genitiuum nitentis. Itaq; nitidus liniens & lucens: Nitens verò incumbens.

Inter nixus, & nisus?

Nixus ad corpus refertur, id est, ad genua: Nisus ad animum.

Inter nihil, & nihili?

Nihil aduerbium est: Nihili dicitur nullius momenti.

Inter nobilem, & nouilem?

Nobilis præclarum significat: Nouilis verò notum plurimis demonstrat.

Inter

ter nothum, et notum?

Nothus est de adulterio natus: Notus multis cognitum significat.

Inter noctu, et nocte?

Noctu sic dicitur, quomodo interdiu, & significat aliquam partem noctis: Nocte autem, totam noctem intelligimus.

Inter nuncius, et nuncium?

Nuncius est qui nuncium affert: Nuncium ipsum quod nunciatur.

Inter nutrit, et nutricat?

Nutrit mulier: nutricat nutricius.

Inter nuptias, et matrimonium?

Nuptias cum virginibus: Matrimonium cum viduis appellamus.



DE

Inter obseruationem, et obseruantiam?

OBseruatio curæ, & doctrinæ, & artis est: Obseruantia verò cultus.

Inter oblectamentum, et oblectationem?

Oblectamentum est rei quæ delectat: Oblectatio oblectandi habitus, qui se demittit in animum.

Inter obesse, et officere?

Obest qui nocet: Officit qui nocere vult.

Inter occupatum, et districtum?

Occupatus in vno potest esse: Districtus in pluribus.

Inter Octauium, et Octauianum?

Octauia porticus est, si priuata sit: Octauiana porticus verò, si publica facta fuerit.

Inter oleas, et oliuas.

Oleas ipsas baccas, id est, fructum vnde

fit

fit oleum: Oliuas arbores dicimus vnde fiunt olіueta.

Inter olim, & quondam, & aliquando?

Olim præteritum tempus ostendit: Quondam etiam præsens: Aliquando futurum. Sed quondam & aliquando in certis locis olim præteritum quasi tempus demonstrat.

Inter omne, & totum?

Omne ad multitudinem & numerum pertinet, vt omnis homo, & omnes homines, & omne pecus dicimus: Totum verò ad magnitudinem, ita vt totum corpus, tota terra, totum cælum. Ergo omnis homo si de vniuersis præsentibus: Totus homo si de corpore & anima dicamus.

Inter omittere, & prætermittere?

Omittit qui ordinem interrumpit: Prætermittit qui ex toto corde derelinquit. Itaq; omittitur quod inter multa aliquando prætereundum est: Prætermittitur quod non curatur ex toto.

Inter obtingit, & euenit?

Obtingit sorte: Euenit malo.

Inter orare, & precari?

Orare dicitur, quem oris ratio ducit: Precatur qui rogat. Et qui orat etiam precatur: Qui autem precatur, non vtiq; orat.

Inter ostendere, & ostentare?

Ostendere est sine lenocinio: Ostentare aliquotiens est cum lenocinio.

Inter ostentum, & portentum, & monstrum, & prodigium?

Ostentum est quædam ostentatio præter consuetudinem obijciens se oculis & auribus, vt in cælo se nobis ostendũt nocte lux vel die tenebræ: Portentum quod ex formis diuersis pponitur, vt homo equo mixtus: Monstrum est quod cunq; extra nascitur, vt serpens cum pedibus, vel aues cum quatuor alis: Prodigium est ab eo quod porro aliquid futurum demonstrat, vt in cælo stella cometes. Vel interdum prodigium est prodigalitas: Vnde & consumtores patrimoniorum prodigi dicuntur.

DE

Inter pati, et perpeti?

Pati breuius est: Perpeti longioris moræ est.

Inter passum, et expertum?

Patimur necessitate: Experimur voluntate.

Inter paulatim, et paulisper?

Paulatim per partes est: Paulisper breuis est temporis.

Inter paulum, & pusillum?

Paulus est mediocritatis: Pusillus quantitatis vel staturæ, id est, exiguus.

Inter paßim, & vbiq;?

Paßim extra conspectum est: Vbiq; verò in omni loco.

Inter parsi, & peperci?

Parsi semel: Peperci sæpius.

Inter patres, & parentes?

Patres ad homines referimus vel ad virilem sexum: Parentes autem & ad matres & ad omnem cognationem referimus.

Inter

Inter paternum & patrium?

Paternus à patre, vt paternum fundum dicimus: Patrius verò patri similis, vt patrius animus.

Inter penes, & apud?

Penes tunc dicimus, cum aliquam possessionem significamus. Nam penes verbum possessionis est. Apud autem verbum omnino aliud præter possessionem, vt homo liber, & aliud simile. Nam hæc & libera corpora, quæ non possidentur, sed retinentur, non rectè penes te esse volumus.

Inter petere, & rogare?

Petimus merito: Rogamus precibus.

Inter percussum, & perculsum?

Percussus corpore est, tanquam ferro vel lapide: Perculsus animo, id est, territus & tremefactus.

Inter pinnas, & pennas?

Pinnæ sunt murorum vel templorum: Pennæ autem auium, à pendendo dictæ.

Inter piscarium, & piscatorem?

Piscarius est qui pisces vendit: Piscator qui capit.

Inter pignera, & pignora?

Pignera rerum sunt: Pignora filij dicuntur.

Inter placat, et exorat, et mulcet?

Placamus Dominum: Exoramus orando permouemus: Mulcemus mollius agimus.

Inter plenitudinem, et plenitatem?

Plenitudo corporis vel animi est: Plenitas rei. Ita plenitudinem hominum dicimus: Plenitatem variæ cuiuslibet rei.

Inter portare, et vehere?

Portat quis humeris: Vehit vehiculis iumentorum vel nauibus.

Inter polliceri, & promittere?

Pollicemur beneficia: Promittimus debita argentarijs vel creditoribus. Item pollicemur vltro: Promittimus rogati.

Inter polluere, & contaminare?

Polluit quis iniuria: Contaminat autem audacia.

Inter

Inter populum, & plebem?

Populus est vniuersus: Plebs inferior numerus.

Inter pœnam, & supplicium, & multationem?

Pœna est sine sanguine: Supplicium cum sanguine: Multatio in damno pecuniæ.

Inter pomarium, & pometum, & pomerium?

Pomarium est vbi poma ponuntur: Pometum vbi nascuntur: Pomerium est locus proximus muris.

Inter potestatem, & potentiam?

Potestas est in eo quod licèt potestati: Potentia verò in eo quod possumus.

Inter potentiam, & potentatum?

Potentia est, cum vnusquisq; aliquid optimum sua auctoritate efficit: Potentatus iniusta perpetuitas dominationis, aut operis perualidi.

Inter principium, & initium?

Principium vniuersale rei caput, quasi primum dictum vel factum: Initium frequentius dicitur. Ita principium

semel, vt arma virumq; cano, quasi totius corporis vel operis caput: Initium sæpius incipit, vt musa mihi causas, quotiens persona scilicet mutatur.

Inter primum, & priorem, et primarium, et primitiuum?

Primus ex multis dicitur: Prior ex duobus: Primarius dignitate: Primitiuus qui nascitur primus.

Inter priorem, et prius?

Prior ad honorem: Prius ad tempus refertur.

Inter præbere, et præstare?

Præbemus etiam aures nostras patienter ad audiendum: Præstamus cum aliquid roganti tribuimus, tanquam pecuniam & cætera huiusmodi.

Inter præterire, et transiire?

Præterimus stantem: Transimus currentem.

Inter prohibere, et inhibere?

Prohibere est porro habere quod non volumus fieri: Inhibere dicitur per vim.

Inter

Inter protinus, & protenus?

Protinus aduerbium temporis est, id est, continuò: Protenus aduerbium loci.

Inter proprium, & propius, & priuatum?

Proprium dicitur quod nostrum est: Propius quod iuxta nos loco est: Priuatum singulari iure nostrum.

Inter pronomen, & articulum?

Pronomen est sine nomine positum, licet non tamen plenum eundem habet significatum: Articulus diminutiuum ab artu, quod est membrum. Et dicuntur articuli, quod nominibus arctantur, vt hic orator.

Inter properare, et festinare?

Properat quì multa simul incipit nec perficit: Qui autem festinat, hoc quod adorsus est, transigit.

Inter proinde, & prouidè?

Proinde à proprietate dictum, vel propè, vnde propinquitas: Prouidè consideratè, & prouidus porrò videns.

Inter prudentem, & peritum, & callidum?

Prudens est veluti prouidens, vtilis rerum suarum ordinator: Peritus est vel arte vel vsu doctus: Callidus per exercitationem artis.

Inter profugum, & exulem, et extorrem, et relegatum, et transfugam?

Profugus est qui sua sponte excedit, quasi porrò fugiens: Exul pro delicto à patria expellitur, quasi solo missus: Extorris est qui pœna magna extra terras agitatur: Relegatus ad tempus: Transfuga qui ad hostes transit.

Inter precari, & imprecari, et deprecari?

Precari rogare est: Imprecari maledicere: Deprecari excusare vel purgare est.

Inter patulum, et patens?

Patulum est quod claudi vel tegi non potest: Patens quod patet cum reseratum fuerit.

Inter

Inter pudorem, et pudicitiam?

Pudor animi: Pudicitia corporis.

Inter pudentem, et verecundum?

Pudens opinionem alterius veram falsamq; metuit: Verecundus non nisi veram timet.

Inter puluereum, et puluerulentum?

Puluereus puluere factus: Puluerulentus puluere aspersus.

Inter pullum, et nigrum?

Pullum pennigerum est: Nigrum albo contrarium est.

Inter putat, et existimat, et opinatur, et arbitratur, et suspicatur?

Qui putat dubitat, & incertæ rei coniecturam facit: Existimat qui ex immaturo, quæ acta sunt dicit: Opinatur qui opinioni aut suæ aut alterius credit: Arbitratur qui dubiæ rei finem imponit: Suspicatur qui latentis rei suspicit formam, & habet aliquid de arte argumenti.

Inter quæstum, & questum, & querelam, & querimoniam?

QVæstus lucri est: Questus lacrimarum: Querela leuis accusatio: Querimonia maior querela.

Inter quæritur, & queritur?

Quæritur quod inquiritur: Queritur implorat vel monstrat.

Inter que, & ve?

Que semper coniungit: Ve disiungit.

Inter quærere, & inquirere, & perquirere, & exquirere, & acquirere?

Quærimus clausa vel aliqua noua: Inquirimus cura de quibus dubitamus: Requirimus notos ex desiderio: Perquirimus quod per omnia diligenter quærimus: Exquirimus quod acrius quærimus, vt cum aliquam artem ex nostro inuenimus ingenio: acquirimus cum patrimonium ampliamus.

Inter

Inter quietem, & quietudinem?

Quies ſilentium ſomni eſt: Quietudo pacis ſecuritas.

Inter quinquennale, & quinquenne?

Quinquennale temporis eſt: Quinquenne ætatis.

Inter quis, & qui?

Quis ſemper præponitur, vel pronomen interrogatiuum eſt: Qui etiam ſubiungi poteſt, ſiue ſingulari, ſiue plurali numero.

Inter quoniam, & quidem, & quia?

Quoniam præponitur & ſic ſequentem ſenſum confirmat, vt quoniam video: Quidem aduerbium eſt, vt primum quidem ſermonem feci: Quia ſenſus ſequitur, vt ſcio quia didici.

Inter cur, & quare?

Qui dicit cur ſimpliciter percontatur: Quare cauſas deſiderat. Interdum ſuadentis atq; promittentis vim poſſidet.

Inter raptionem, et rapinam?

RAptio puellæ est: Rapina præda.

Inter raptum, et raptatum?

Raptum semel: Raptatum sæpius.

Inter regale, et regium?

Regale dignum rege: Regium ipsius Regis, vt regius puer.

Inter regnum, et imperium?

Regnum vniuersitatis: Imperium in homines. Seu quod nunc, regnum in subiectis est: Imperium Regibus.

Inter religionem, et superstitionem?

Religio in virtute est: Superstitio in vitio.

Inter recentem, et nouum?

Recens nascitur: nouus fit.

Inter relictum, et desertum?

Relinquimus voluntarij: Deserimus inuiti.

Inter

Inter reliquos, et cæteros?

Reliquos dicimus relictos ex omnibus: cæteros quos nescimus, vel residuos.

Inter rediuibum, et rediuiuum?

Rediuibum per B quod renascitur: Rediuiuum per V quod reuincitur.

Inter riuum, et fontem?

Riuus subitò ex pluuia fit: Fons caput aquæ nascentis.

Inter rogare, et interrogare?

Rogat qui precibus aut monitis petit: Interrogat qui quærit de aliquo, vel qui cum imperio requirit.

Inter roseum, et rosaceum?

Roseum imitationis est, vt roseus color: Rosaceum est opus de rosis factum.

Inter robur, et robor, et ruborem?

Robur virtus est, vnde & robustus dicitur: Robor arbor est, vnde & robora ligna dicuntur: Rubor coloris est, vnde & rubicundum.

Inter

Inter rogum, & pyram, & funus?

Rogus est compositio lignorum, quæ defunctis paratur: Pyra sacrificijs componitur: funus mortuis apparatur.

Inter rusticitatem, & rusticationem?

Rusticitas morum: Rusticatio operis.



DE

Inter sacrum, & religiosum, & sanctum?

SAcrum dicimus quicquid ad dominum pertinet: Religiosum quicquid ad homines Deo placentes: Sanctum lege vel ritu.

Inter saturare, & satiare?

Saturamus cibo: Satiamus animo.

Inter saxum, & lapidem?

Saxum natura: Lapis quod de saxo decidit vel auulsum est.

Inter sæuum, & crudelem?

Sæuus intra leues pœnas existit, aut circa verba: Crudelis in sanguine.

Inter saucium, & sauciatum?

Saucius semel: Sauciatus sæpius.

Inter sanguinem, & cruorem, & saniem?

Sanguis est dum intra corpus est, dictus quod nos satiat, id est, contineat. Curor dicitur cum effusus est, dictus quod corruere cogat: Sanies putridus cruor dicitur.

Inter ſceleſtum, et ſceleratum, et ſceleroſum?

Sceleſtus ſcelerum cogitator: Sceleratus qui ipſe ſcelus admittit, vel alieno contaminatur: Sceleroſus in quo ſcelus admittitur. Ita alter cogitat: Alter facit: Alter patitur.

Inter ſcinditur, et conſcinditur?

Scinditur ſemel: Conſcinditur ſæpius in plures partes.

Inter ſedes, et loca?

Sedes in patria: Loca vbiq;.

Inter ſeuerum, et tetricum?

Seuerus animo eſt: Tetricus in vultu apparet.

Inter ſenſum, et intellectum?

Senſus naturæ eſt: intellectus artis.

Inter ſeruitutem, & ſeruitium?

Seruitus conditio ſeruientium eſt: Seruitium officium ſeruientium.

Inter ſeram, et ſerram?

Sera eſt vnde oſtium tutamur: Serra verò genus eſt ferramenti, vnde ligna & lapides ſecantur.

Inter ſerum, et ſerò?

Serum eſt certa dinumeratio, vt matutinum: Serò qualitas temporis, id eſt, tardè.

Inter ſenectam, et ſenium, et ſenectutem?

Senecta ſine dubio ætas eſt: Senium valitudo ſenectæ per ætatem: Senectus multitudo ſenum.

Inter ſic, et ita?

Sic qui dicit, oſtendit exempla: Ita ad rationem refertur.

Inter ſimulare, et diſsimulare

Simulat aliquis voluntate: Diſsimulat contumacia. Seu diſsimulat, qui quod ſcit, fingit ſe neſcire: Qui ſimulat, vult videri facere quod non facit.

Inter ſimile, et ſimulacrum, et ſignum?

Simile parem figuram demonſtrat: Simulacrum quod quaſi ſimile Deo eſt: Signum hominis eſt vel rei.

nter ſimul, et ſimitum?

Simul

Simul est unà, pariter, ut simul legimus, simul scribimus: Simitum loci recipit significationem, ut simul itum.

Inter sinum, & gremium?

Sinum dicimus pendens exterius sinuatæ vestis receptaculum: Gremium interius ac cinctæ vestis secretum.

Inter solum, & solitarium?

Solus à cæteris relictus: Solitarius qui semper sine cæteris viuit.

Inter solidum, & integrum?

Solidum ad naturam pertinet: Integrum ad quantitatem.

Inter sonum, & sonitum, & strepitum?

Sonus propriè vocis est, & brutorum animalium: Sonitus est rei alicuius, ut aquæ, vel rerum inanimatarum: Strepitus murmuris est, vel confusæ diuersæq; vocis.

Inter socerum, & socrum?

Socerum virum dicimus: Socrum verò fœminam demonstramus.

Inter

Inter ſplendidum, & nitidum?

Splendidum natura eſt, vt ſol, luna: Nitidum cum per manus adhibetur cura, tanquam aurum, & argentum, & æs.

Inter ſpiculum, & iaculum, & cuſpidem?

Spiculum prima pars teli, quà figitur: Iaculum in medio: Cuſpis poſterior pars.

Inter ſpumeum, & ſpumoſum?

Spumeum eſt, quod incipit ſpumas facere: Spumoſum quod natura ſemper ſpumat.

Inter ſpolia, & exuuias?

Spolia priuati hominis ſunt: Exuuiæ autem ducis ſunt.

Inter ſpirare, & exſpirare?

Spirare viuere eſt: Exſpirare mori.

Inter ſperare, & ſpectare, & exſpectare?

Speramus bona: Spectamus quod probamus vel videmus, vt in ſpectaculo: Exſpectamus aliquem venientem.

Inter ſtudium, & diſciplinam?

Studium animi: Diſciplina artis.

Inter ſuperare, & ſupereſſe?

Superamus dum vincimus: Superſumus defunctis. Ita alterum ad victoriam referimus, alterum ad tempus.

Inter ſuper, & ſupra?

Super eſt quod eminet: Supra quod ſubſtratum aliquid habet.

Inter ſubtus, & ſubter?

Subtus quod aliqua re ſuperiore premitur: Subter quod demiſſum alteri non coniungitur vel non continuatur.

Inter ſublimem, & arduum?

Sublimis eſt excelſus cum aliqua dignitate: Arduum verò dicimus excelſum cum aliqua difficultate.

Inter ſuadere, & perſuadere?

Suademus amicis exorantes ad ſpem honeſtæ rei: Perſuademus aliјs quibusdam, ad non peccandum eos impellentes.

Inter ſuſtinere, & ſuſtentare?

Suſtinemus ſemel: Suſtentamus ſepius.

Inter

Inter ſuccum, & humorem?

Succus aquæ eſt: Humor naturæ.

Inter ſubÿcitur, & ſupponitur?

Subÿcitur citò: Subponitur lentè.

Inter ſuſcipere, & recipere?

Suſcipimus noſtra: Recipimus aliquid deferendum.



Inter tacere, & silere, & sinere?

TAcere voluntatis est: Silere est imperij: Sinere dimittere est. Seu quod taceat homo: Sileat locus: Sinat vtrumq;. Item tacet qui nec dum cœpit loqui: Silet qui desinit loqui.

Inter tardum, & pigrum, & inertem, & segnem?

Tardus est qui trahit tempus: Piger per omnia ægro similis: Iners sine arte nullius officij efficax: Segnis remotus à calore.

Inter terram, & tellurem, & humum, & aridam?

Terra dicitur quam calcamus, à terratu vestigiorum, eò quod teratur: Tellus Dea: Humus ab humida natura: Arida terra deserta, ab ariditate dicta.

Inter temerarium, & perniciosum?

Temerarius ad se refertur: Perniciosus ad alios.

Inter temperi, & tempori?

Temperi

Temperi manè significat: Tempori verò tempus demonstrat.

Inter terrenum, & terrosum?

Terrenum dicimus opus ex terra: Terrosum frumentum, vt arenosum.

Inter terminum, & finem?

Terminus non nisi manu ponitur: Finis vel sermonis est, vel voluptatis, vel cuiuslibet alterius rei intelligi potest.

Inter terret, & deterret?

Terret qui timere cogit: Deterret qui prohibet perseuerare.

Inter tergum, & terga, & tergus, & tergora?

Tergum singulariter hominis dicitur: Terga plurimorum hominum: Tergus vnius animalis: Tergora plurium iumentorum.

Inter temperantiam, & temperationem, & temperiem?

Temperantia est animarum: Temperatio rerum: Temperies aeris, id est, aurarum.

Inter tibur, & tiburi?

Tibur nomen est opidi: Tiburi aduerbium loci.

Inter torris, & torrens?

Torris lignum perustum est, vel quodlibet aliud siccatum: Torrens aqua per prærupta decurrens.

Inter tribuere, & attribuere?

Tribuimus cum donamus: Attribuimus officium, vel quasi adiudicamus.

Inter tremulum, & tremens?

Tremulus naturæ est: Tremens tempore.

Inter tricenos, & tricentos?

Tricenos triginta dicimus: Trecentos tercentum.

Inter tunc, & tum?

Tunc contrarium est ei quod non est cum fuerit: Tum cum est, & iam perfectum existit. Itaq; præsentis temporis est tum: Tunc præteriti. Vel tum ordinis habet significationem: Tunc Temporis.

Inter thus, & tuus?

Thus genus suffimenti est : Tuus pronomen.

Inter tumet, & turget?

Tumet corpus ægrum : Turget cadauer mortuum.

Inter tuor, & tueor?

Tuor video est : Tueor defendo vel protego.

Inter turbidum, & turbulentum?

Turbidus naturæ est : Turbulentum fit.



Inter vallem, & collem?

VAllis est locus in monte depressus: Collis in monte locus eminens.

Inter veniunt, & veneunt?

Veniunt qui vt aliqua vendant aut aliud faciant accedunt: Veneunt ipsa quæ venduntur.

Inter vindicem, & vltorem?

Vindex præsentiæ est: Vltor absentiæ. Seu vindicamus aliquid ne fiat: Iniuriam vlciscimur iam factam.

Inter vbei, & vbi?

Vbei locum significat: Vbi tempus.

Inter vdum, & vbidum, & vuidum?

Vdum extra fit, id est, infunditur: vbidum ex se dat humorem & quasi ad medium vsq; peruenit: Vuidum quod penitus permaduit.

Inter venenosum, & venenarium, & veneficum, & venenatum?

Venenosus dicitur serpens vel simile: Venenarius qui vendit venena: Veneficus qui dat ei, quem vult necare: Venenatus ille qui accipit.

Inter vesperum, & vespere, & vesperam?

Vesperus nomen stellæ est: Vespere aduerbium temporis est, tanquam mane: Vespera à Græcis, quam illi ἑσπέραν appellant.

Inter venatorium, & venaticum?

Venatorium ferrum dicimus: Venaticum canem.

Inter velle, & studere?

Velle est quod leuiter volumus: Studemus valde. Vnde & literarum studia dicta sunt.

Inter vestes, & vestimenta?

Vestes fœminarum sunt: Vestimenta virorum.

Inter vetus, & vetustum?

Vetus nouo contrarium est: Vetustum ad antiquitatem refertur.

Inter vertor, & reuertor?

Vertor ad motum refertur: Reuertor ad effectum.

Inter viperinum, & vipereum?

Viperinus pullus: Vipereus similis viperæ.

Inter virtutem, & fortitudinem?

Virtus ad diuersa colligitur, estq; animi vigor, cuius species sunt quatuor, animi, corporis, habitus, ætatis: Fortitudo tantùm in vno percipitur.

Inter viciniam, & vicinitatem?

Vicinia est locorum propinquitas: vecinitas regionum.

Inter viam, & semitam?

Via est quæ vehiculo vtitur, & legitima quantum multi simul inire possunt: Semita verò duorum pedum est, & quasi dimidium iter est.

Inter viuum, & viuentem?

Viuum de victuro dicimus: Viuentem de morituro.

Inter

Inter virum, & masculum?

Virum specie intelligimus: Masculum genere. Ita vir homo dicitur: Masculus etiam de animalibus.

Inter vim, & vires?

Vis impetu fit: Vires ad firmitatem corporis referuntur. Ita vis violentiam facit: vires firmitatem.

Inter vlcus, & vulnus, & plagam?

Vlcus sponte nascitur: vulnus fit: Plaga potest esse planctus. Siue vlcus leuitatis, vulnus grauitatis, plagæ etiam verbera dicuntur.

Inter vnum, & vnicum?

Vnus ex multis est: Vnicus solus. Ita vnus numerus est, & initium multorum agit: vnicus origine dicitur, & solus propter inopiam aliorum intra numerum finitur.

Inter vnà, & pariter?

Vnà comitatum significat, vt vnà profectus, id est, simul: Pariter æqualitatem demonstrat.

Inter vocare, & inuocare?

Vocamus hominem: Inuocamus Deum.

Inter voluntatem, & voluptatem?

Voluntas animi est: Voluptas corporis.

Inter vrbem, & ciuitatem?

Vrbs in mœnibus est sita: Ciuitas in hominibus dicitur.

Inter vterq;, & vtriq;?

Vterq; de duobus dicitur: Vtriq; de binis vel pluribus ex vtraq; parte positis.

Inter vulneratum, & sauciatum?

Vulneratus est qui in altum demissam habet plagam: Sauciatus in summa parte habet ictus plagam. Nam & saucius potest dici sauciatus.

Inter vespere, & vesper, & vespera, & vesperum?

Vespere à vesper neutrum tertiæ declinationis: Vespera fœmininum primæ declinationis: Vesperum autem neutrum secundæ declinationis.

FINIS.

59.

HAFNIÆ


IMPRESSIT LAVrentius Benedictus.

1589.








60